

facio etiam seiva mansuescunt. Aspice elephantorum iugo colla submissa, taurorum, pueris pariter ac feminis persultantibus, terga impune calcata, et repentes inter pocula sinusque innoxio lapsu dracones, intra domna ursum, leonumque ora placida tractantibus, adulantesque domino feras. Padebit cum animalibus permulasse mores. *Ib. c. LIV.*

Et paulo post : Quid si nocere velint manus pedibus, manibus oculi? Ut omnia membra inter se consentiant, quia singula servari totius interest; ita homines singulis parcent, quia ad cœlum geniti sumus. Salva autem societas nisi amore et custodia partium esse non potest. *Ibid.*

Sapienter S. Chrys. dixit : Cum nos ipsos ulciscimur, Deus nos non defendit; cum autem ipsi concedimus, plus, quam expectamus, efficitur. S. CHRYS. hom. LIII. ad Pop.

AXIOMATA.

Ingeniose quis dixit :

Nobile vincendi studium patientia vincit ;
Qui patitur si. Vis vincere, disco pati.
Cya. I. II. *apoph. 1.*

Romanis usitatum erat proverbium, ut Titus Livius in Historiis eorumdem refert : « Amicitias immortales, inimicitias mortales debere esse. » Ast vero, inquit, ex quo inimicitias mortales ab omnibus legibus naturalibus, divinis, politicis et Ecclesiasticis damnatae fuerint, quomodo subsistet proverbium asserens : « Inimicitias mortales debere esse? » Nimirum per hoc innuitur, inimicitias subito mori debere, et deficere, absque eo, quod repetantur, aut resuscitentur : Caesar capitaliorem non habebat inimicum ipso Pompeio, et tamen ad imperium assumptus suum erga ipsum affectum, quam maxime demonstravit, de quo proinde dicitur : « Caesar Pompeii status everti vetuit, suas stabilivit. » De Tito, in Annalibus Ecclesiasticis, scribitur, quod cum duo patritii Imperium affectasse convicti fuissent, ipse hoc rejiciens, aliud non fecit, quam quod eos monerit dicendo, quod principatus per destinationem dari soleant, ceterum ipsis promittebat, quod si aliud quidpiam desiderarent, eorum voluntati libenter obsecundaturus fuisset. *LIVIVS Dec. IV. l. XL.*

AUCTORES.

Hieremias Drexelius in *Zodiaco symb. 9.*
Robertus Bellarminus *De septem verbis Domini c. IV et V.*

Ludovicus de Ponte tom. III *de Perfect.*
Tract. I, c. VI.

Claudius Viexmontius *de Penit. p. III,*
c. I, II, III et IV.

Didacus Stella I. III *de Vanit. Mundi a*
c. IX.

Cornelius a Lapide *in cap. XII epist. ad*
Rom.

Joannes Cassianus collat. XVI, c. XXIV.
Panarium Joannis Busei. v. *Vindictio*
injuria.

Franciscus Arias tom II, tr. IV, *de Imit.*
Christi c. XLIV et seq.

Henricus Engelgrave *in Luce Evangelica*
tom. II, embl. 49.

Mathias Faber p. III, con. II, *in Dom. 21*
post Pent.

Thomas Stapletonus text. *in Dom. 2 post*
Pent. et text. v ac VII in Dom. 21.

DILECTIO PROXIMI.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est virtus, qua proximus diligitur propter Deum, seu ut clarius S. Dionys. ait, qua corda amantium inter se invicem uniantur, et quasi bitumine quodam animæ eorum ita conglutinantur, ut, cum sint multæ, in voluntatibus tamen una esse videantur. S. DION. *IV de Div. nomina.*

Si forte quis quaerat, quis sit proximus? (ait S. Aug.) Proximus est omnis homo. Omnes proximi sumus conditione terrene civitatis et mortalitatis, et etiam spe hereditatis, quia nescimus quis quid futurus sit, quoniam aut Judæus, aut Hæreticus, aut Paganus; forte enim per misericordiam Dei, et inter Sanctos primum locum habere merebitur. S. AUG. ser. LIX, *de Temp.*

REGULA. — Duplici regula nititur hæc dilectio. Prima data est a Deo : Diliges proximum tuum sicut te ipsum; quam Christus clarius explicavit dicens : Omnia, quæcum-

que vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis. *LEV. XIX, 18. MATT. VII, 12.*

Alteram tradidit idem Christus, apud S. Joannem, dicens : Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. *JOAN. XV, 12.*

ACTUS. — In genere duo sunt. Primus a Christo supra indicatus : Omnia quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis. Secundus a S. Tobia insinuat : Quod ab alio oderis fieri tibi, vide, ne tu alteri feceris. *Tob. IV, 16; MATT. VII, 2.*

De his S. Prosper sic loquitur : Hæc est proximi tota dilectio, ut bonum quod tibi conferri vis, velis et proximo; et malum quod tibi nolis accidere, nolis et proximo S. PROSP. I. III *de Vit. Cont. c. XV.*

In specie vero sequentes numerari possunt :

Afflicti erga omnes homines propter Deum.

Velle omnibus vera bona æterna, et temporalia, quatenus conducunt ad salutem æternam.

Hæc omnia procurare per media proportionata; e contrario vero damna studiosè avertere, aut ubi proximus jam incurrit, iterum reparare.

Jucundam et gratam cum proximo conversationem instituire, atque adeo sedulo cavere, quæ hanc impedire possunt, qualia sunt contemptus, suspiciones, temeraria iudicia, oblocutiones, detractationes, mordacitates etc.

Perfectam cum eodem concordiam tenere, idem volendo et nolendo, gaudendo cum gaudente, flendo cum flente.

Multas pro ipso difficultates aut labores suscipere, immo ipsam etiam, si charitas exigit, vitam pro eo ponere. *LEO. DE PONTE, c. III, tr. I, c. v, § 1.*

EX S. SCRIPTURA.

NATURA. — Diliges proximum tuum tantum teipsum. *MARC. XIX, 12.*

Omnia quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis. *MATT. VII, 12.*
Quod ab alio oderis fieri tibi, vide, ne tu aliquando alteri facias. *Tob. IV, 6.*

Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. *JOAN. XIII, 24.*

Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes, non quæ sua sunt, singuli considerantes, sed ea, quæ aliorum. *PHILIP. II, 2.*

Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit, quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. *I CORINTH. XIII, 4.*

Majorem hæc dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. *JOAN. XV, 3.*

Non videbis ovem fratris tui, aut bovem errantem, et præteribis, sed reduces fratri tuo. *DEUT. XXII, 1.*

Numquid non Pater unus omnium nostrum? Numquid non Deus unus creavit nos? Quare ergo despicit unusquisque nostrum fratrem suum? *MALACH. II, 10.*

Obsecro vos, ego vincetus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in charitate. *EPHES. IV, 1.*

NECESSITAS. — In hoc cognovimus charitatem Dei quoniam ille pro nobis animam suam posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere. *I JOAN. III, 6.*

Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi. *GAL. VI, 2.*

De charitate fraternitatis non necesse habemus vobis scribere, ipsi enim vos a Deo didicistis, ut diligatis invicem. *I THESS. IV, 9.*

Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, et fratrem suum odit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo diligere potest? Et hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligit et fratrem suum. *I JOAN. IV, 6.*

Nemini quidquam debeatis, nisi, ut invicem diligatis, qui enim diligit proximum, legem implet. Plenitudo ergo legis est dilectio. *ROM. XIII, 8.*

Omnis enim lex in uno sermone impletur : Diliges proximum sicut te ipsum. *GAL. V, 14.*

Nos scimus, quod translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. *JOAN. III, 14.*

Carissimi, si sic Deus dilexit nos, et nos debemus alterutrum diligere. *JOAN. IV, 11.*

Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. *JOAN. IV. 12.*

Si preoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis, considerans temetipsum, ne et tu tenteris. *GAL. VI. 1.*

UTILITAS. — Ante omnia mutam in vobismetipsis charitatem continuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum. *I. PETR. IV. 8.*

Qui diligit fratrem suum, in lumine manet. *I. JOAN. II. 12.*

In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo et hominibus: Concordia fratrum, et amor proximorum, et vir et mulier sibi bene consentientes. *ECCL. XV. 1.*

Iterum dico vobis, quod si duo de vobis consenserint super terram de omni re, quam petierit, fiet illis a Patre meo. *MATTH. VIII. 19.*

In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. *MARC. IV. 24.*

Non te pigeat visitare infirmum, ex his enim in dilectione firmaberis. *ECCL. VII. 30.*

DIGNITAS. — Diligere proximum tanquam seipsum, majus est omnibus holocaustis, et sacrificiis. *MARC. XII. 33.*

Diligamus nos invicem, quia charitas ex Deo est. *JOAN. IV. 17.*

Si diligamus nos invicem, Deus in nobis manet, et charitas ejus in nobis perfecta est. *I. JOAN. IV. 12.*

JUCUNDITAS. — Ecce quam bonum et quam jucundum, habitare fratres in unum! *PS. CXXXII. 3.*

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

QUALITAS. — In charitate pauper est dives; sine charitate omnis dives est pauper. Charitas in adversitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat, in duris passionibus fortis est, in bonis operibus hilaris est, in tentationibus tutissima, in hospitalitate latissima, inter bonos fratres letissima, inter falsos patientissima. *S. AUG. de laude charitatis.*

Charitas omnia facit communia. Tametsi vobis hodie non interfuimus, vobiscum tamen communem lætitiã habuimus. Talis est enim vis charitatis, non fruentes pariter cum fruentibus gaudere facit, communia proximorum bona putare persuadet. *S. CRYST. hom. XIX ad Popul.*

O nimiam Dei clementiam! O ineffabilem Dei benignitatem! præmium nobis pollicetur, si nos mutuo diligamus, et ea nobis præstemus, quibus nos invicem indigemus, et nos superbo et ingrato animo ei reinitimur, cujus imperium beneficium est! *S. LAUR. JUSTIN.*

Sic diligendi sunt homines, ut eorum non diligantur errores. *S. THOM. c. v.*

Diligamus in proximis, quod sunt, et odio habeamus, quod in itinere Dei nobis obsistunt.

Nonne, qui oderant te Domine, oderam? Cum in eodem subjecto sit natura et culpa, opus Dei, et opus hominis, cavendum est discrete, ne propter malum bonum odias, vel propter bonum substantiã malum natura, et odium culpæ. *S. THOM. in Ps. CXXXVIII.*

Unde scimus, quia diligimus fratres? Nemo interroget hominem, redeat unusquisque ad cor suum, si ibi invenerit charitatem fraternam, securus sit, quia transit a morte ad vitam. *S. AUG. tr. I, in c. III Joan.*

Alius amat, quia redamatur, alius, quia honore afficitur, alius, quia utilitati sibi esse, aut fore hominem putat; Christi vero causa difficillime quemquam invenies, qui amicum, ut oportet, diligit; omnes fere sæcularium vinculorum nexu inter se vincuntur. *S. CRYST. hom. LXI. in Matth.*

Qui diligit Deum, non cum contemnere potest præcipientem, ut diligit proximum, et qui sancte ac spiritualiter diligit proximum quid in eo diligit nisi Deum? Ipsa est dilectio ab omni mundana dilectione discreta, quam distinguendo addidit Dominus: Sicut dilexi vos; quid enim nisi Deum dilexit in nobis, non quod habeamus, sed ut habereamus. *S. AUG. tr. LXX in Joan.*

Nemo dicat, in hominem pecco, quando non diligo fratrem meum; intendite, et facile est peccatum in hominem, in Deum solum non peccem; quomodo non peccas in Deum, quando in dilectionem peccas? Idem tr. in *cap. III Joan. I.*

Cætera cum reddita fuerint, non debentur, dilectio autem tanto magis debetur, quanto amplius impenditur; ipsa est, quæ semper redditur, et semper debetur, nec, cum redditur, amittitur, sed potius reddendo multiplicatur, quoniam habendo redditur, non carendo. *S. ANS. ad Rom. XIII.*

Charitas non solum apud eum crescit, qui hanc ab eo, quem diligit, exigit, etiamsi non recipit, sed etiam ille a quo eam reci-

pit, tunc incipit habere, cum reddit, et ideo cætera se solvite, ut non debeatis, charitatem vero ita solvite, ut non semper habeatis, et debeatis.

Est charitas vinculum perfectionis, quo membra fidelium artissimo complexu sibi invicem hærent, et suo capiti per omnes juncturas connectuntur in unum corpus in mutuo principio honorum omnium, ut fidenter quilibet possit dicere: Particeps ego sum omnium timentium te, et custodiendum mandata tua. *RICHARDUS A S. VICT. p. 1, cap. VII, de Gr. char.*

Tantum quilibet portat proximum, quantum amat. Si enim amas, portas; si desisti amare, desisti et tolerare. *S. GREG. sup. Ezech.*

Non diligis proximum sicut teipsum, si non ad id bonum, ad quod ipse tendis, adducis. *S. AUG. de Morib. l. I.*

Circa vitam tuam esto austerus, circa aliorum benignus. Audiant te homines parva mandantem, et grandia facientem. *S. CRYST. in illam. MATTH. XVIII: Digito a suo.*

Charitas vult abundare sibi, ut possit omnibus; servat sibi, quantum sufficit, ut nulli deficiat; alioquin si plena non est, perfecta non est. *S. BERN. ser. XVIII in Cant.*

Nihil æque amicum probat, quam oneris portatio. Tantum quisque portat, quantum amat. *S. AUG. in Apoc. XXIII.*

Mandatum charitatis est mandatum simile proximo (id est mandato charitatis divine) quoniam hoc illud inducit, ab illo rursus munitur. *S. CRYST. hom. in Matth.*

Ut sciat homo diligere proximum, tanquam seipsum, prius debet diligendo Deum diligere seipsum. *S. AUG. enarrat in Ps. CXVIII.*

Ut perfecta fiat justitia in dilectione proximi, Deum in causa habere necesse est. Alioquin proximum diligere pure non potest, qui Deum non diligit, oportet ergo diligi Deum prius, ut in Deo diligatur et proximus. *S. BERN. in lib. de dil. Dei.*

Minus proximum amare convincitur, qui non cum eo in necessitate illius, etiam ea, quæ sibi sunt necessaria, partitur. *S. GREG. in homil.*

Dilectio proximi character est discipulorum Christi. *AGG. lib. de Conf. XIII.*

Vere diligit, qui sine tristitia, sine timore, voluntario potius studio, quam coaecto, præcepta conservat. *AMBROS. super Beati immanuel*

Non melius, nec decentius, quam per di-

lectionem rependi potest, quod per dilectionem datum est. *BERNARD. supra Ps.*

Amor Dei amorem proximi generat, et amor proximi calefacit amorem Dei. *GREGOR. in Homil.*

Charitas cor unum fratrum multorum facit. *AGG. super Evan. Joan. VII.*

Ordo. — Cum omnibus prodesse non possis, hoc potissimum consulendum est, qui pro locorum et temporum vel quarumlibet rerum opportunitatibus, constructus sibi quasi quadam sorte junguntur; sicut enim, si tibi abundaret aliquid, quod dari oporteat ei, qui non habeat, nec duobus dari possit, si tibi occurrerent duo, quorum neuter alium, vel indigentia, vel in se aliqua necessitudine superaret, nihil justius faceres, quam ut sorte eligeres, cui dandum esset, quod dari utrique non potest; sic in hominibus, quibus omnibus consulere nequeas, pro sorte habendum est, prout quasi sibi colligatis temporaliter adhaerere poterit. *S. AUG. de Doctr. Chr. c. XXVIII.*

Ille igitur dilectionis ordo nobis servandus est, juxta illud quod dixit Spiritus Sanctus: *ordinavit in me charitatem*; ut, sicut ordinata charitas poscit, ut Deum principaliter diligamus, et propter ipsum, in ipso ea, quæ diligenda sunt, tantum, quantum ipse præcipit, diligamus. Ipse enim præcipit, ut corpora nostra propter nos, proximos sicut nos, et ipsum prius diligere, quam nos debeamus; ita sane ut eis, quos nobis conjunctiores familiaritas facit, si eos fama non reprobatur, sed vita commendat, nos amplius impendamus; omnium profectus nostris esse credamus, et de aliorum peccatis, tanquam de nostris, misericorditer lugeamus. *S. PAUL. I. III de Vit. conc. c. xv.*

Dilectio unguentum est, quod primo effunditur in ipsum caput (id est, Christum) et ab hoc descendit in barbam (id est, ad majores) deinde in oram vestimenti, (id est ad minores). *S. AUG. in Spec. Erem.*

NECESSITAS. — Dilectio Dei prior est ordine præcipienda, sed proximi dilectio prior est ordine faciendi; neque enim, qui præcipere tibi dilectionem illam in duobus præceptis, prius tibi commendaret proximum, et postea Deum, sed primo Deum, et postea proximum. Tu autem, qui nondum vides Deum, diligendo proximum promeraris, quem videas; diligendo proximum, purgas oculum ad videndum Deum evidenter,

Joanne dicente: Qui non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere? S. AUG. hom. XVII in JOAN.

Dico hæc, necesse est, charitatis præcepta custodiat, quisquis habere in nuptiis vestem nuptialem capit. Hinc est, quod cortinis Tabernaculi intexi coccus bis tinctus jubetur. Vos estis, fratres, cortinae Tabernaculi, qui per fidem in cordibus vestris secreta celestia velatis; sed cortinis Tabernaculi bis tinctus coccus debet inesse, coccus quippe ignis speciem habet; quid vero est charitas, nisi ignis? Sed ista charitas bis tincta esse debet, ut tingatur et per amorem Dei, et per amorem proximi; qui enim sic amat Deum, ut per contemplationem illius negligat proximum, coccus quidem est, sed bis tinctus non est. Rursum qui sic amat proximum, ut tamen contemplationem Dei per ejus amorem relinquat, coccus est, sed bis tinctus non est. S. GREG. hom. XXVIII in EV.

Considera, o homo, unde nomen sumpseris? Ab humo scilicet, quæ nihil a te accipit, sed omnino largitur omnibus, et ad diversorum omnium animalium usum fructum administrat; inde appellata humanitas specialis et domestica virtus hominis, quæ adjuvet consortem. S. AMBR. I. III Offic.

UTILITAS. — Tunc plenius in Dei dilectione proficimus, cum in ejusdem dilectionis gremio prius proximi charitate lactamur. S. GREG. I. V Mor.

Quemadmodum multi Religiosi per charitatem sunt unus, ita per eandem charitatis unionem singuli sunt multi. Unio decem Religiosorum facit, ut unus sit decem; nam unus est in omnibus decem, et omnes decem in uno. Quare unusquisque habet viginti oculos, viginti manus, et ita respirat per decem animos; tantam enim curam quisque gerit de altero, quantam de se ipso. Ideoque oculi, manus, pedes omnium decem servium uniuersique; nullus enim contentus est cura sui ipsius, sed etiam gerit curam reliquorum. S. CHRYS. hom. LXXVII in JOAN.

JUCUNDITAS. — Qui alios diligit, sicut debet, ita vivit in terra, quasi esset in celo, semper gaudens summa tranquillitate; in hoc enim bono charitatis omnia bona habet, et per eam innumeratas obtinet victorias, et et coronas, et inestimabiles thesauros pacis. S. CHRYS. hom. XXXII in ep. ad Cor.

Nihil auditur dulcius, nihil optatur delectabilius, nec utilius possidetur; quam ob

rem dixit David: O quam bonum et quam jucundum, habitare fratres in unum! Hæc verba Psalterii, iste dulcis sonus, ista melodia etiam monasteria peperit. S. AUG. in Ps. CXXXII et ad XII FF. in erem.

Ubi est meum ac tuum, illic omnium litium genus, et contentionis occasio, et inter cognatos et fratres; ubi autem hæc non sunt, ibi secunda versatur pax et concordia. S. CHRYS.

Vere bonum, vere jucundum: unum fratrem dimisimus, et ecce quantos inducimus! Frater sæcularis non tantum me amat, sed substantiam meam; cæterum fratres spirituales, qui sua utique negligunt, alia non querunt, nec aliud præter me. S. HIER.

Tale est bonum pacis, quod ex fraterna oritur charitate, ut in rebus creatis nihil gratiosius soleat audiri, nihil delectabilius concupisci, et nihil utilius possideri. S. LAUR. JUST. in I. VII, c. XV.

Multe res sunt pulchræ et honestæ, quæ carent delectatione, quemadmodum alia sunt jucundæ, sed deest eis honestum. Non facile autem contingit, ut utraque conveniant, sed in hoc utraque concurrunt, et voluptas, et honestas maxima. S. CHRYS. hom. II de Job.

Bonum et jucundum est [sola charitas; hoc privilegium soli charitati servatum est, ut, cum sit non solum bonum, sed maximum omnium bonorum, sit quoque jucundissimum, omnis quippe alia virtus penam habet annexam. Nostra humilitas, patientia abstinencia, castitas, paupertas, fortitudo laborem habent, ut neque enim sine labore homo submittitur, patitur injurias, abstinet a cibis et voluptatibus carnis, caret bonis temporalibus. In amore autem quamnam difficultas? Quis labor est, amare?

Si hæc omnia non te movent, moveat te saltem ipsa, quam diximus, jucunditas charitatis. Quis enim non vult jucunde vivere, et cum lætitia vitam agere? Hoc sine fraternitate habere non poteris. Quid namque jucundius, quam concordia? Quid molestius, quam discordia? Ibidem.

Hoc in primis habet charitas, quod cum utilitate sit facillima, atque jucundissima. S. CHRYS. hom. cit.

EQUITAS. — Cum videris aliquem egentem curatione vel corporis, vel animi, ne dicito apud te ipsum: Quare ille et ille non curaverunt? sed a morte libera. Si inveneris aurum jacens, non dicis apud te ipsum: Quare ille

et ille non sustulerunt? sed festinas ante alios rapere; itidem et de fratribus collapsis cogita, putaque te thesaurum invenisse. S. CHRYS. orat. III adv. Judæos.

Docemur proximum sicut nos ipsos diligere exemplo amoris membrorum corporis humani. Primo in hoc, quod unum membrum non invidet alio membro, licet non habeat idem officium, non omnia namque eundem habent actum membra, nec tamen sibi invicem invidet; sic nec debet aliquis invidere proximo suo, habenti gratiam, quam ipse non habet. S. LAUR. JUSTIN. de Lege vit. c. XVII.

DIGNITAS. — Quo magis a Dei dilectione recedimus, eo magis a proximi amore distamus; quantum vero Dei charitati adhaeremus, tantum et proximo, quantumcumque proximo, tantum et Deo conjugimur. S. DOROTH. to. III. Bibliot. doct. VI.

Memento, Religiose, quod veneris ad Religionem, ut esses negotiator, et pretiosas margaritas, virtutes scilicet, et bona spiritualia quæreres. Nec contentus esto, si bona inferiora inveneris, sed summa quæque et excellentia perquire. Nil autem pretiosius invenies unitate; non igitur parcas omnibus cæteris propter eam obtinendam, sed jejuniis, vigiliis, et orationibus, audacter præfer unitatem. Volo autem, ut in ea quoque sic maneat, non quasi unus ex omnibus, sed quasi cum omnibus unus; late expande sinum, et ex omni genere piarum affectionum claude inter viscera tua, ut omnibus omnia fias; et congaudere paratus et compati, gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, ut amorem et unionem cum omnibus habeas. S. BERN. s. XXVI.

Omnis species justitiæ, quæ habent servi Dei in veritate possunt habere servi diaboli in simulatione; habet enim fictos mansuetos, castos, elemosynarios, jejunos, et omnem speciem boni, quam creavit Deus ad hominum salutem, introduxit diabolus ad hominum perditionem, ut inter verum et simulatum confusio fiat; solam autem charitatem Spiritus Sancti, non potest immundus spiritus imitari. Ideo autem hanc privatam speciem sibi solus Spiritus Sanctus reservavit, ut per unius justitiam et testimonium sic cognoscatur, ubi Spiritus Sanctus est, quemadmodum per gratiam charitatis. S. CHRYS. hom. IV, sup. Matth.

Tunc ad alta charitatis mirabiliter surgit, cum ad ima proximorum se misericorditer

demittit; et quæ benigne descendit ad infirma, valenter recurrit ad summa. S. GREG. in Pastor.

ACTUS CORRECTIONIS. — Numquam alieni peccati objurgandi suscipiendum est negotium, nisi cum internis interrogationibus examinantem conscientiam nostram liquido nobis coram Deo responderimus, dilectione nos facere. S. AUG. sup. Epist. ad Gal.

Raro et magna necessitate objurgationes adhibendæ sunt, ita tamen, ut in his etiam ipsis non nobis, sed ut Deo serviatur, instemus. S. AUG. I. II de Ser.

Molestus est medicus furenti phrenetico, et pater indisciplinato filio, ille ligando, hic cædendo, sed ambo diligendo; si autem istos negligant et perire permittant, ista potius falsa mansuetudo crudelis est. S. AUG. ad Bonif. de Correc. dom.

Quæ peccatorum coram omnibus, corripienda sunt, ut omnes timeant; qui secreto peccavit in te, secreto corrippe, nam si solus nosti, et cum vis coram aliis arguere, non est corrector, sed proditor. S. AUG. super illud. Matth. XVII: Si peccaverit etc.

Mali propterea objurgandi et corripiendi male arguentibus quis parcat, quia opportunum sibi tempus inquirat, vel eisdem ipsis metuit, ne peiores ex hoc efficiant, vel ad bonam vitam et piam erudiendos impediant, aliosque infirmos premant, atque avertant a fide; non videtur esse cupiditatis occasio, sed consilium charitatis. S. AUG. I. I, de Civ.

Accusare vitia, officium est bonum, quod tamen mali faciunt, alienas partes faciunt. Cogitemus ergo, cum alienum reprehendere nos necessitas coegerit, utrum tale sit vitium, quod nunquam habuimus, et jam non habemus; et tunc tangat memoriam communis fragilitatis, ut illam correctionem non odium, sed misericordia præcedat. Si autem invenerimus nos in eodem vitio esse, non objurgemus, sed ingemiscamus, et ad æqualiter dependendum invitemus. S. AUG. in Ser. Dom. in monte.

Qui cordis sui domum excolere non valet, quomodo plurimorum adjuvabit diligentem? Et qui peccati trabem ex suo non potest eruere oculo, quomodo ex alterius oculo poterit amputare festucam? S. AMB. in I. de Dign. Sacerd.

Quid necesse est, bis pungere non recalcitrantem, per se satis erubescens confundere amplius, cui sua ratio magister

est, cui propria consejntia virga, et ingeminata verecundia lex disciplinæ est? S. Hier. in *Ev. ad Ocean.*

Regat disciplinæ vigor mansuetudinem, et mansuetudo ornet vigorem, et sic alter commendetur ex altero, ut nec vigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta. S. GREG. I. XIX *Mor.*

In correptione vitiorum subesse debet iracundia, non præesse, ut executione justitiæ non dominando preveniat, sed simulando subsequatur, et notum iudicium possessa impleat et procuret. S. GREG. XXVI *Mor.*

Tunc protervos melius corrigimus, cum ea, quæ bene egisse credunt, male acta monstramus, et unde adepta gloria creditur, inde vitii confessio subsequatur. S. GREG. in *Post.*

Major culpa, quo citius, quia culpa est, agnoscutur, eo etiam celerius emendatur. Minor vero, dum quasi nulla creditur, eo pejus, quo et securius in usu tenetur. *Ibid.*

Mundus esse a vitiiis debet, qui aliena corrigere curat; quatenus tanto perspicacius aliam fugienda videt, quanto hoc ipse perscientiam et vitam verius declinat. Quia nequaquam pure in membro maculam considerat oculus, quem pulvis obtenebrat, et superjectas sordes tergere non valent manus, quæ lutum tenent. S. GREG. in *Post.*

Magna crimina et tarde credenda sunt, cum audiuntur, et citius puniunda, cum venaciter agnoscentur. S. BERN. *sup. Cont.*

Qui blando verbo castigatus, non corripitur, acrius necesse est arguatur; cum dolore sunt abscondenda, quæ leviter sanari non possunt. *Isid. I. III, de Sum. bon. cap. XLVI.*

Qui admonitus de peccato secreto, corrigi negligit, publice arguendus est, ut ulcus quod occulte sanare nescit, manifeste debeat emendari. *Ibid. XIX.*

Non uniformiter secundam mensuram delictorum increpationes quoque oportet inferri; sed diligenter aspicere eorum, qui deliquerunt, vires atque propositum, ne forte volens rupta sarcire, majorem operetur dirruptionem, et cupiens erigere collapsa, casum inferat graviolem. S. CHRYS. in suo *Dialog. I. II.*

Leniter castigatus exhibet reverentiam castiganti, asperitate autem nimie increpationis offensus, nec increpationem recipit, nec salutem. S. PROSP. I. II, *de vit. contemp.*

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Charitas habenda est ad omnes, sed familiaritas non expedit. *Lib. I, VIII.*

Stude patiens esse in tolerando aliorum defectus, qualescumque infirmitates, quia et tu multa habes, quæ ab aliis oportet tolerari. Si non potes te talem facere, qualem vis, quomodo poteris alium ad tuum habere beneplacitum? *Lib. I, c. XVI, §. 2.*

Si portari vis, porta et alium. Vide quam longe es a vera charitate et humilitate, quæ nulli novit irasci, vel indignare, nisi sibi! *Lib. II, c. III, §. 2.*

Non est magnum, cum bonis et mansuetis conversari; hoc enim omnibus naturaliter placet, et unusquisque libenter pacem habet, et secum sentientes magis diligit. Sed cum duris et perversis, aut indisciplinatis, et nobis contrariantibus pacifice posse vivere, magna gratia est, et laudabile nimis virilique factum. *Ibidem.*

In me debet amici dilectio stare, et propter me diligendus est, quisquis tibi bonus visus est, et multum carus in hac vita. Sine me non valet, nec durabit amicitia, nec est vera et munda dilectio, quam ego non copulo. *Lib. III, c. XLII, §. 1.*

Diligantur omnes propter Jesum, Jesus autem propter seipsum. Propter ipsum, et in ipso tam amici, quam inimici tibi sint cari, et pro omnibus his exorandus est, ut omnes ipsum cognoscant et diligant. *Lib. II, c. VIII, §. 4.*

Pro nulla re mundi, et pro nullius hominis dilectione aliquid malum faciendum est; sed pro utilitate, tamen indigentis, opus bonum libere aliquando intermittendum est, aut etiam pro meliori mutandum; hoc enim facto opus bonum non destruitur, sed in melius commutatur. *Lib. I, c. XV, §. 1.*

Sine charitate opus externum nihil prodest; quidquid autem ex charitate agitur, quantumcumque etiam parvum sit, et despectum, totum fructuosum efficitur; magis si quidem Deus pensat, ex quanto quis agit, quam quantum facit. Multum facit, qui multum diligit. *Ibidem.*

EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

S. Moyses ita proximum diligebat, ut di-

ceret ad Dominum: Aut dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro vite. *EXOD. XXII.*

S. Joannes Apostolus id unum inculcabat: Filioli, diligite alterutrum. Causam vero hujus doctrine toties repetita interrogatus, respondit: Mandatum Domini est, si hoc fiat, sufficit. *SUBIUS, in Vita.*

S. Paulus ita proximum diligebat, ut anathema pro eo fieri cuperet, si necesse foret. *II. COR. IV.*

S. Paulinus non sua tantum, sed denique seipsum etiam in captivorum redemptionem impendit. *Vita, apud Surium.*

S. Antonius Florent. Episcopus suam Diocesim per se semper lustravit, et ingruente quondam pestilentia, infectos ultro invisit, solatus est, recreavit, adducto secum jumentum medicamentis onusto.

S. Wenceslaus potissimam divitiarum partem impendebat in liberos Ethnicorum emendos, quos deinde catholice instrui curavit. *PLATUS, I. II, c. XXIX.*

S. Apollonius fratres in cellam suam venientes excipiebat velut templa S. Spiritus, et vasa Dei, dicebatque hac ratione Abraham excipiebat Angelos ad se venientes, et Deum in illis adorabat; nam cum tres venientes cerneret, unum in illis adorabat, quæ proin etiam animis Christianis causa esse debet, proximum amandi. *PETRUS SANCII, in Regno Dei, p. VI, c. XI, ib. f. 795.*

Amon, senex sanctissimus, cum fratres ei nuntiarent, mulierem in cella cujusdam, fratris esse, ivit quidem, sed supra doliolum infra quod mulier latebat, sedit, et postea fratres quaerere mulierem jussit, ut hac ratione fratrem accusatum a confusione liberaret; quem tamen privatim postea correxit. *Spec. exem. ex. III, App.*

Cum S. Macario quondam uva oblata esset, ipse eam ad proximum fratrem ferebat, hic iterum ad alium, ita ut uva per totum eremum circumlata, denique ad S. Macarium rediret; qui videns tantam in fratribus charitatem, continentiam, ad aciora semetipsum spiritualis vite extendit exercitia. *lb. disc. II, ex. LXVII.*

Quidam frater S. Francisci videns socium lapidibus a fatuo peti, mox se pro fratre objecit, et lapidum ictus ex charitate excepit. *lb. VII, ex. II.*

Casilda, Almenonis Regis Toletani filia, cum captivos clam patre cibo et rebus omnibus recreasset, quondam deprehensa a patre, et quesista, quid ferret, sinu aperto, ci-

hos in rosas commutatos invenit. Quo illa miraculo percita, monitaque, si a fluxu sanguinis curari vellet, in lacu D. Vincentii nomine se ablueret, cum patre agit, ut ad Ferdinandum Regem morbi curandi causa mitteret. Missa est, et a morbo liberata baptismum suscepit, et vitam in rupis fastigio sanctissimæ exegit. *P. JOAN. MARIANA, I. IX, de Reb. Hisp. I. III, to. I.*

S. Sanctulus charitate accensus, seipsum pro Diacono dedit in mortem, sed a S. Joanne Bapt. liberatus, cum manum carnificis in aere immobiliter suspensam, sanasset, non sibi modo a Longobardis, sed omnibus etiam Christianis libertatem impetravit. *L. III Dialog. S. Ga. c. XXXVII.*

Quidam auditio hoc præcepto: Diliges proximum tuum, sicut teipsum, cum sedulo implevisset id, denique ob charitatem proximi inventus est in puteo submersus, cum annulo, qui inscriptum erat, prorsus animam ejus in cælum receptam esse, quam corpus in frigiditatem fuerit. *Sp. Exempl. in append. ex. XII.*

Senex quidam, cum aliquoties ab Abbate Joanne requisisset aliquas doctrinas, et statim oblitus iterum esset, et tandem reverti non auderet, Joannes lucernam accendere eum jussit, et incendere ex ea. Tum quæsit, an lucerna ex hoc læsa esset? Et cum senex respondisset, non, dixit Joannes: Ita nec Joannes læditur, si tota Scythia veniat ad me, nec impedit me a charitate Dei; quando iterum ruis, veni, nihil hesitans. Et ita per patientiam utrorumque abstulit Deus oblivionem a senæ; hoc enim erat opus habitantium in Scythia, ut amarent eos, qui impugnabantur a quæcumque passione, et extorquebant sibi laborem, unde invicem lucrarentur. *Vita PP.*

Abbas Apollo, si quis de fratribus eum in suo opere requisisset, et labore, mox pergebat cum omni lætitia, dicens: Ego cum Rege meo Christo vado hodie operari pro anima mea. Hæc est enim merces, quæ animæ reputatur. *Ibidem.*

Elogii charitatem admirandam elephantico per quindecim annos prestavit et a Deo præmiatam, vide fusius descriptam l. c.

S. Franciscus B. Petro Cathanii Generali dicebat: In hoc volo cognoscere, si tu diligas Dominum, et me servum tuum ac suum, si feceris istud, videlicet quod non sit frater in mundo, qui quantumcumque peccaverit, quod, postquam viderit oculus tuus, nun-

quam recedat sine misericordia tua; etsi non quæreret, tu quæras ab eo, si vult misericordiam, etsi millies postea appareat coram oculis tuis, dilige illum plus quam me, et ad hoc, ut trahas eum ad bonum, et semper misereris talibus. PENNE p. 1. c. xxx. § 2 in *Isogoga ad amorem*.

Eulogius quidam scholasticus erat, et eruditus vir, qui amore divino compunctus abrenuntiavit turbis hominum, omnemque substantiam suam distraxit et erogavit pauperibus. Itaque paucos denarios in usus proprios reservavit, cogitans apud semetipsum, quia operari propriis manibus non valeo, nec in monasterii congregationem ingredi possum. Invenit ergo quemdam in platea jacentem leprosum qui nec manus habebat, nec pedes, cujus tantummodo lingua vigeabat. Stans autem Eulogius prope eum, oravit Dominum, et posuit quasi pactum cum Domino dicens: Domine, in nomine tuo levabo hunc leprosum in domo mea et ministrabo ei, et fovebo eum usque ad mortem, et propter hunc ego inveniam misericordiam tuam. Dona ergo mihi, Christe Domine, patientiam ad hujus obsequium. Et accedens ad leprosum, dixit ei: Si dignus facere, gratias ago. Adduxit ergo asinum, et levavit eum, et duxit in domum suam, et adhibebat ei curam diligenter. Itaque per annos quindecim gubernabatur; accipiebat curam de manibus Eulogii, et condigne nutriebatur. Post quindecim autem annos insidiatus est ei Diabolus, et clamare cepit leprosus, instigatus ab eo, contra Eulogium, multisque injuriis et detractionibus afficere virum; dicebat enim ei: Multa mala commisisti fugitive, forsitan domini tui alienas pecunias furatus es, et per me vis peccatis tuis liberari, et clamabat: Jacta me in plateam, ubi ante jacebam, carnes desidero manducare. Hoc cum audisset Eulogius, obtulit ei carnes in cibum. Iterum ille clamabat: Non acquiesco; sed, ut dixi, jacta me in plateam, populos volo videre, jacta me ubi me invenisti; forsitan, si manus habuisset, exsuffocare se potuisset, in tantum eum Demon excitabat. Ideoque valde sollicitus Eulogius pervenit ad monasteria virorum Dei, et dixit eis: Quid faciam, Domini mei Patres, quia in desperationem me adducit leprosus iste? Projicere cum timeo, quia Deo dextram dedi, et promisi usque ad mortem continere et fovere eum. Si ergo non projicere eum, sed per violentiam tenere

volo, pessimos dies, et amarissimas noctes faciet mihi. Ad hæc illi dixerunt ei: Dum adhuc in corpore est magnus ac beatissimus famulus Dei Pater Antonius, ascende in navim pariter cum illo leproso, et vade in monasterium, ubi monachi ejus sunt, et expecta ibi, usque quo egrediatur de spelunca sua, et veniat ad monasterium, et quidquid dixerit tibi, observa, et acquiesce ejus sententiæ. Deus enim per ipsum tibi dicet. Misit ergo leprosum illum in navim, illeque pariter ascendit, et navigantes venerunt ad monasterium discipulorum Beati Antonii. Evenit autem illa die, ut veniret Pater Antonius jam vespera peracta. Quando autem adveniebat in monasterium, hæc habebat consuetudinem; vocabat Macarium et interrogabat eum dicens: Frater Macari, venerunt aliqui fratres huc? Respondit ei: Etiam venerunt. Iterum interrogabat: Ægyptii sunt, an Hierosolymite? Dederat enim ei signum dicens: Quando videri inquietiores, dicito, quia Ægyptii sunt. Quando autem religiosiores, dicito, quia Hierosolymite sunt. Interrogavit autem secundum consuetudinem: Fratres Ægyptii sunt, an Hierosolymite? Respondit Macarius, et dixit: Quia mixti sunt. Quando autem dicebat, quia Ægyptii sunt, jubebat B. Antonius, ut pulmentum lenticule apponerent eis cibum, et quando refecissent, faciebat eis orationem, et dimittebat eos. Quando autem dicebat, quia Hierosolymite sunt, sedebat per totam noctem disputans cum eis de verbis Dei, quæ ad salutem animæ pertinent: In illa ergo vespera sedebat, et vocabat omnes fratres, qui cum advenissent, subito vocavit: Eulogi, Eulogi! Cum tamen nullus indicasset nomen ejus; tertio etiam vocatus Eulogius non respondit ei, arbitratur enim, quod alium Eulogium ex monasterio vocaret. Tunc dicit ei: Tibi dico, Eulogi, qui ab Alexandria venisti. Respondit Eulogius, et dixit: Quid jubes, Domine? Interrogavit eum Antonius: Quid huc venisti? Ait Eulogius: Et qui revelavit tibi nomen meum, causamque manifestavit. Dixit ei Antonius: Scio propter quid venisti, sed coram omnibus edicto, ut et ipsi audiant. Eulogius dixit: Hunc leprosum inveni jacentem in platea, et levavi eum, et promisi Deo, ut eum foverem, quatenus ut salvus efficiar, et ipse per meum obsequium quietem habeat. Et quia post tot annos recedere vult a me, et nimis exacerbat me, dum fes-

tinat recedere, et cogitavi projicere eum, ideo ad Sanctitatem tuam veni, ut mihi des consilium, quid agere debeam, et ores pro me. Nimis enim sollicitus sum, et tribulor pro ista causa. Tunc austero vultu respiciens eum Antonius dixit: Tu projecis eum, sed qui fecit eum, non projicit eum: Jactas eum tu, sed suscitabit Deus meliorem, et consolabitur eum. Et silens Eulogius pavefactus est. Itemque Beatus Antonius cepit asperioribus verbis increpare leprosum illum, et clamans dicebat ei: Leprose inveterate dierum malorum, indigne cœli et terræ, non quiesces blasphemare Deum? Ignoras, quia Christus est, qui ministrat tibi? Quomodo audes adversus Christum talia proloqui? Numquid non propter Christum semetipsum servum se exhibuit Eulogius ad tuum ministerium? Increpans ergo et hunc reliquit. Post hæc coram omnibus dixit eis, quæ expeditabant salutem animæ eorum, admonens Eulogium et leprosum, ut non separarentur ab alterutro: Sed in cellam vestram, inquit, pergit. In præsentiarum enim vos visitat Deus. Tentatio enim hæc evenit, quia uterque circa finem estis, et coronæ vobis preparantur, ne veniens Angelus non inveniat vos in eodem loco, et proposito, et perditis tanti temporis mercedem boni operis. His auditis cum festinatione reversi sunt ad propriam cellam. Et post quadraginta dies defunctus est Eulogius, et post tres dies similiter requievit leprosus. Post aliquot vero dies quidam nomine Cronius de Thebaida descendit in monasterium Alexandrie, et invenit quosdam fratres diem tertium leprosi celebrantes, quosdam autem quadagesimum Eulogii. Agnovit ergo Cronius et obstupuit, et accipiens Evangelium proposuit fraternitati, et juravit referens eis, quomodo omnia, quæ evenerunt, Eulogio et leproso prædixit B. Antonius. PALLADIUS, Vita c. xxvi.

Perrexerunt aliquando tres fratres ad messem, et susceperunt certum spatium sexaginta modiorum, quod meterent. Unus autem ex eis prima ipsa die infirmari cepit, et reversus est ad cellam suam. Duo autem qui remanserunt, unus alteri dixit: Ecce, frater, vides, quia incurrit in agritudinem frater noster. Extorque ergo tu animo tuo parum, et ego similiter meo paululum, et credamus in Deo nostro, quia per orationes ejus implebimus nos duo opera ejus, et metemus partem ipsius. Cum ergo explevisset

messem totius loci illius, quem susceperant, venerunt accipere mercedes suas, et vocaverunt fratrem dicentes: Frater, veni, et accipe laborem tuum. Et ille dixit eis: Qualem laborem accipiam, qui non messui? Et illi dixerunt ei: Orationibus tuis consummata est messis, veni ergo, accipe mercedem tuam. Facta est ergo plurima contentio inter eos de hac re, illo scilicet dicente: Non accipio, quia non laboravi; illi vero non adquiescentibus, nisi et ipse acciperet partem suam. Abierunt ergo ad iudicium magni senis ejusdem, et dicit ei frater ille: Perreximus nos tres, ut metereamus in agro ejusdem ad mercedes; cum autem venissemus ad locum, quem messuri essemus, ipsa prima die in congregatum cecidi, et reversus sum in cellam, nec una die metere prævalui cum iis, et nunc cogunt me fratres isti dicentes: Veni, accipe mercedem, ubi non laboravi. Dixerunt autem et illi fratres: Reverti tres fuimus, et perreximus metere, et suscepimus spatium sexaginta modiorum, quod metereamus, et si fuissemus toti tres cum grandi labore vix potuissemus explicare illud. Orationibus autem fratris hujus nos duo velocius, quam tres potuimus, et demissimus agrum. Et dicimus ei: Veni, et accipe mercedes tuas, et non vult. Hæc audiens senex miratus est, et dixit uni de monachis suis: Percutit signum in cella fratrum, ut congregentur hic omnes. Qui cum venissent, dixit eis: Venite, fratres, et audite hoc justum iudicium, et indicavit eis omnia senex, et adjudicavit illum, ut acciperet mercedes suas, et faceret ex eis mercedibus, quod ipse vellet. Et discessit frater ille contristatus et plorans, et sibi præjudicatum fuisse dicebat. *Specul. Exempl. tit. charitas. Exempl. ix.*

Erat in monasterio Cruciferorum, diecesis Monasteriensis, laicus quidam frater ad recipiendum hospites deputatus. Et is, ne temere sibi iudicium Domini usurparet, et alienum servum, contra præceptum Apostoli, qui suo Domino aut stat, aut cadit, videretur iudicare, sine omni personarum acceptione bonos et malos, probos et improbos, disciplinatos et insolentes, cum tanta humilitate tantaque charitate recepit, pavit, ministravit, quasi omnium unica mater esset, et sibi soli eorum videretur cura incumbere. Cum igitur in extremis laboraret, et tempus esset, præmia laborum recipere, contigit, quemdam laicum fratrem inte-

rim ad infirmatorium, in quo infirmus decubuit, quamdam dulcissimam melodiam, quasi concinentiam in choro puerorum, eum a longe resonantem, audire. Quapropter stupens, et vix se ipsum comprehendens, infirmatorium ingreditur, et moriturum, utrum ne et ipse canoras juvenum voces percepisset, sciscitatur. At ægrotus : Paululum, inquit, ante ingressum tuum ad me introierunt huc quidam formosi satis, sed mihi incogniti juvenes, qui cum dulcibus cantilenis aliquamdiu invalidi atque infirmi corporis mei mitigassent dolores; suspicatus ego, si forte pauperes essent, et cantibus eleemosynas postularent, aio ad eos : Dulces filii mei, quandiu potui, cum omni charitate omnibus pauperibus, quantum permisit paupertas nostra, libenter ministravi; nunc, quia, ut videre potestis, ad hæc facienda vires non suppetunt, ad eorum pergit, et is, quia pnis est larga vobis manu eleemosynam ministrabit. Et in hæc verba dimisi eos, sed quoniam abierunt, vel qui fuerint, omnino non scio. Quod audiens Frater, eum hujusmodi juvenes intra claustra monasterii penitus visi non essent, vel Angelos fuisse, vel alios Sanctos suspicatus, dignam laudem Deo de exhibita pietate refudit. Hospitalarius vero post hæc citissime, sed et devotissime moriens (ut pie creditur) una cum concinentibus Angelis ad cœlestem patriam comeeavit, dignam mercedem pro exhibita charitate capturus, de quo sit Deus benedictus in sæcula. Amen. Ibid. ex. emp. xii.

Legitur exemplum, quod quidam plebanus sicut temporalibus divitiis, ita et vitis deditus erat; habuit tamen valde devotam conjugem, ad ejus suggestionem Religiosos habebat in honore. Contigit autem, ut ad illum domum diverterent quidam Fratres. Itaque tempore prandii dixit domina Fratribus : Rogo vos, boni Patres, ut dicatis aliqua verba salutis, quia illa valde sunt nobis necessaria, si dominus non ægre ferret. Et dominus ait : Ego similiter peto, ut dicatis, sed brevia verba, quia etiam prædicationem, tediosum mihi est audire propter prolixitatem. Tunc unus Fratrum ait. Ego vobis dicam brevia verba, tam fructuosa, quod si ea servaveritis, in iudicio generali animam meam qua a juventute Deo servivi, obligo pro anima vestra. At ille : Dicite (ait) et ego jurejurando protestor servare : Cui ille : Dixit Salvator in Evangelio : « Quodcumque vultis, ut faciant vobis homines, et vos fa-

cite illis. » Et rursus per Tobiam Spiritus Sanctus ait : « Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. » Si hæc servaveris, procul dubio salvus eris. Cui dives : Repete (ait), Pater. Quod cum Frater fecisset, et ille didicisset, rogat ipsum Fratrem, ut ipsa breviter declararet. Et ille respondit : Hic est intellectus verborum istorum. Quod tu, ex quo es magnus dominus, velis, ut tui tibi essent fideles, te honorarent, tibi que decenter servirent; sic, cum Deus sit Dominus tuus, sis fidelis ipsum solum adorando, nomen illius honorando, ac illi saltem diebus festivis serviendo. Item; si esses pater, des derares, quod filii tui honorarent te, tu quoque similiter facito erga Deum. Item nolles, quod quis te occideret, aut adulterium in domo tua committeret, aut bona tua, vel furaretur, vel falsum contra te ferret aliquis testimonium, aut concupisceret bona tua, vel uxorem; sic tu debes facere, et si horum contrarium quandoque quis fecisset, velles, ut de hoc tibi satisfaceret. Ait dives : In veritate pauca ista verba profundam continent scientiam. Verumtamen, Deo favente, ea adimplere curabo. Interim vero cepit hæc verba sollicite ruminare, et invenit, se in multis illis contraria egisse, nam quibusdam domos, quibusdam molendina, quibusdam possessiones in pignus diu tenuisse, plerisque injuriam, et verbera intulisse recogitabat. Proclamare igitur fecit, se omnibus, quibus debitor erat, satisfacturum. Denique cum tristaretur propter magnam temporalium bonorum diminutionem, ait suis militibus : Eamus recreationis ergo ad venandum. Unde orta tempestate et pluviarum abundantia, cum vacui redirent, vidit in via molendinum ejusdam pauperis a torrente dissipari, et everti, hominemque, ejus fuerat, insufficientem esse, ad eum reparandum, ait suis : Hoc est, quod ego promisi servaturum; si enim essem talis pauper, optarem, ut potentior me adjuvaret. Unde resistentes milites de suis equis, trabes, et rotam in locum pristinum, jussu istius divitis reposuerunt. Rursus progredientes ulterius repererunt quemdam peregrinum pauperem, quem dum vidisset dominus, ait suis militibus : Hoc etiam est de illis, quod ego facere promisi. Si enim essem adeo pauper, optarem, ut aliquis mihi auxiliaretur, et humane reficeret. Dixit itaque pauperi : Sequere me, et bene tibi providebo de hospitio et victu. Cui pauper : Domine (ait) a

prædicatoribus audiivi, quod Christus tale quid misericordiæ sibi deputat exhibitum, et ideo ita remunerat. Venientes pariter ad domum, et accepta manu pauperis dominus consorti suæ ait : En ego hospitem tibi adduxi, curam ergo istius habeto. At illa : In veritate, inquit, utilis est talis hospes, pro quo Christus se obligavit debitorem. Cumque laute pauperem hospitio exceperisset, sero prope cubiculum suum illi pauperi lectum sumptuosum disposuit; media autem nocte cepit pauper sitire et dicere : Ex siti morior. Quod cum dominus audisset, accepto gladio ait : Domina, quid est hoc? At illa : Auscultemus, domine, attente, et videamus quid sit. Quo facto advertunt pauperem dicentem : En, morior siti. Tunc ait dominus : Hoc etiam est, quod promisi servare, quod si ipse essem pauper, et nescirem, inter tot gradus quo transirem, vehementer desiderarem, quod aliquis mihi potum prestaret, potum igitur porrigam. Qui accepta camisia ivit ad cisternam pro accipienda aqua, et in illam ruit præceps. Mane autem facto, et recedente paupere, interrogare cepit domina famulos suos de domino et marito suo, de quo unanimitè nihil scire responderunt. At illa : Ite (inquit) ad omnes Ecclesias et Monasteria inquirentes de illo, quia post beatum Fratrum adventum totaliter in alium virum (ut scitis) mutatus est. Quibus reduntibus, nec enim inventibus ait domina : Mittite anchoram in cisternam ne forte lapsus sit in illam, quia potum ferre pauperi iverat. Quo facto extraxerunt illum mortuum, et plangentibus omnibus, conspiciunt in collo illius circum aureum, Angelicis manibus sic præparatum, quod nec extrahi posset, nec junctura illius ulla appareret; sed scripturam hanc continebat : Nos Angeli prius animam istius duximus in cœlum, quam corpus fuisset infrigidatum in cisterna, quia in misericordiæ operibus vitam finivit. Quibus auditis et visis, uxor cum familia gaudio magno vocant Episcopum civitatis, et ille manibus circumlactans mirabatur, et protinus hoc miraculum insinavit summo Pontifici, et diversis mundi potentibus. Tunc uxor flexis genibus ait : O misericors Domine Deus, gratias tibi ago, quod me tali viro sociasti, qui jam certe in tua tecum letatur gloria, adjuva et me Domine Rex æternæ gloriæ, et consors illius gloriæ effici merear. Quæ venditis omnibus Christo servavit devote. O igitur

divina lex, quam brevis, et quam utilis! O lex Dei immaculata! O lex Christiania saluifera; tu contineres in lege natura; tu es plena charitate, tu es donum Dei gratuitum, tu sola rectificas animas, et eas ducis ad gloriosam vitam æternam.

Serapion Sindontes, qui præter Sindonem nihil unquam induebat, cum quemdam accepisset exercitorem, qui cum eo luderet, se in quadam urbe gentilibus vendidit histrionibus viginti nummis. Tandiu autem permansit, et servivit mimis, qui eum emant, donec eos fecit Christianos, et eos avulsit a theatro, præter panem et aquam nihil sumens, neque præ meditatione Scripturarum ore silens. Longo autem tempore primus compunctus est mimus, deinde mima, deinde universa eorum familia. Dietum est autem, quod, quo tempore eum ignorabant, lavabat pedes amborum. Ambo ergo baptizati a theatro recesserunt; et cum ad vitam honestam et piam processissent, virum valde reverabantur. Et itaque dicunt : Adesdum, Frater, nos te liberabimus, quandoquidem ipse nos liberasti a turpi servitute. Dicit ergo eis : Quandoquidem Deus est operatus, et salva facta est vestra anima, vobis dicam mysterium actus : Ego anime vestra miserus, cum essem liber exercitator, genere Ægyptius, ea de causa me ipsum vendidi, ut vos servarem. Quoniam autem hoc fecit Deus, et per meam humilitatem salva evasit anima vestra, accipite aurum vestrum, ut etiam aliis opem feram. Illi autem eum multum rogassent, et affirmassent, dicendo : Te tamquam patrem, et dominum habebimus, solum mane nobiscum; non poterunt ei persuadere. Tunc dicunt ei : Da aurum pauperibus, nam id nobis fuit causa salutis. Sed saltem post annum nos invisas, et sic ab iis abitis in Greciam, et cum venisset in loca Lacedæmonis, audivit quemdam ex primis civitatis esse Manicheum simul cum tota domo, alioqui virum bonum. Et rursus se ipsum vendidit in primo actu. Et cum intra duos annos ipsum abduxisset ab hæresi, et ejus uxorem, adduxit eos ad Ecclesiam. Tunc eum amantes non amplius habebant tamquam servum, sed tamquam germanum fratrem, et patrem, et Deum laudabant. DAVROET. c. iii, tit. III, ex. v.

S. Sychostomus sic de seipso scribit : Velle, si fieri posset, vestris oculis ostendere, quam in vos habeo charitatem. Nihil est enim mihi vobis jucundius, et desiderabi-

lius, ne hæc ipsa quidem lux. Millies enim optarem ipse esse cæcus, si per hoc liceret vestras animas convertere, adeo ipsa luce mihi est vestra salus jucundior. Quid enim me juvant solares radii, quando quæ propter vos accipitur animi ægritudo, oculis meis magnas ofundit tenebras? Lux enim tunc bona est, quando apparet in lætitia. Et paulo post: Implete gaudium meum, liceat vobis salutem assequi, me autem propter vos reddere rationem; vobis dari salutem, me vero accusari, quod meum munus non impleverim. Non enim curo, ut per me salvi sitis, sed ut salvi sitis quacumque ratione. *Homil. in Acta.*

Charitas inter se contenderunt apud Antiochiam Theodora virgo, et quidam miles. Illa ob Christi confessionem ab infidelibus in prostibulum traditur; miles vero eam primus adiens, persuadet, ut mutatis secum vestimentis virili habitu evadens, virginitatem intactam conservet. Cumque ipse cum muliebri veste deprehensus pro virgine ad supplicium traheretur, non sustinuit illa, ut, cujus ope pudicitia tutata fuerat, ei necis causa fieret; palam proclamavit, se esse ei poenæ addictam, non ipsum; et contra ille, se iudicis sententia damnatum, non illam. Diu certarunt, uterque alterum sua morte redimere cupientes. At vero, quoniam Christum confitentibus, mori, vivere non minus par erat, Deo disponente, ambo simul capitis obrutione gloriosum Martyrium peregrerunt, ne eos tyrannus separaret, quos junxerat amor Christi. *S. AMBR. l. II de Virg. sub finem. tom. IV.*

Sanctum Pachomium adhuc et militem, et nullis dum fidei Mysteriis imbutum, nihil potius ad Christum adduxit, quam Christianorum charitas. Cum enim militibus Constantini Magni stipem et annonam, quæ eos defeceat, quaerentibus, videret quosdam inter alios Pachomius, qui singulari benevolentiae significatione milites in domos suas ultro invitarent, tamque liberaliter offerrent necessaria, et miratus rogaret: Equodnam id genus hominum, tam præter consuetum beneficium? cumque Christianos esse intelligeret: Pape! inquit, non potest non optima esse illa religio, quæ ita ad charitatem instruit homines; eam ergo complecti, quid vetabit? *BARONIUS, ad ann. 318.*

Senes duo multis annis simul conversati, nunquam inter se litem habuerunt; dixit autem unus alteri: Faciamus et nos litem,

sicut hospites faciunt. Cui alter: Nescio, qualiter fiat litem. Tum ille prior dixit: Ecce, pono in medio laterculum, et ego dico: Meum est hoc. Tu autem dic: Non, sed meum est; inde litis initium. Posuerunt ergo testam in medio sui, et dicit unus eorum: Meum est hoc. Et alter dixit: Non, sed meum est. Et ille respondit ei: Et meum tuum est, tolle ergo, et vade. Et discesserunt, nec contendere inter se potuerunt. *Vita PP. l. III, n. 96.*

Major charitas esse non potest, quam si quis ita affectus sit, ut ultro servire velit, ne alius serviat. Talis fuisse proditur Paulinus, Nolanus Artistes, qui ut viduæ filium redimeret, ipse in Africa diutissime servivit. *SABELL. lib. III.*

Bernardinus Senensis prima sanctitatis rudimenta per hæc apud civem deposuit snos; cum enim Senæ Heltruscæ gravi pestilentia vastarentur, duodenis comitatus juvenibus, quos sibi ad ipsum opus delegerat, circumire agrotantium domos, languentes et graviter affectos consolari, egestate laborantibus subvenire, sepelire defunctos, paratos omnes subire casus, quos tetra illa lues se temere ingerentibus importare potuisset. *Ibid.*

Dilectio conjugalis.

Conradus III Imperator Guelphum Bavarie Ducem in aliqua urbium illius ita obsessione presserat, ut, cum diutius sustinere Imperatoris impetum se posse diffideret, deditionem offerret, si modo in conditiones paratus esset Caesar; verum irato vehementer Imperatori non alias concedi conditiones placuit, quam, ut nobilioribus Matronis urbe liceret liberis, sed peditibus excedere, et tantum, quantum humeris ac toto corpore pollerent, secum asportare. Accepta est ab obsessis conditio. Mulieres ergo maritos humeris aptare, illis tanquam pretiosissimis thesauris onustæ, ad urbis portas accedere. Imperator ad tanti amoris spectaculum obstupefactus lacrymas non tenere, omnibus veniam, et libertatem donare, ac Ducem ipsum deinceps inter amicissimos habere. *Pædagog. Christ. p. III, c. XXII: n. 2, § 9.*

Elisabetha Bobadilla, PetriArie uxor, diu precata virum, ut secum novas illas ignoti orbis in oras duceret, quom non impetraret, certa virum in tanta pericula hinc se non dimittere: Aut tecum, inquit, vehe aut iugu-

lum feri; quam thori consortem habes, habeas et periculorum. Liberos ego, fortunas, domum, cognatos, affinesque, et quæcumque amare aut admirari mos est, viro post habeo, illi me, non domui nuptam credidi. Pervicit constantia et prima, opinor, Matronarum in Americam pietatis maritalis colominum deduxit. *JOAN. RHO. Var. Hist. l. III, c. IV, n. 10.*

Bertulphus Germanus magnæ nobilitatis in Palestinam peregre abiit, ubi captus est, et servituti addictus. Nuntiat id uxori Ansberte, in ea una spem libertatis suæ sitam, si ipsa veniret tyranno supplex. Obsequitur illa, sed ut novitas inexpectati adventus plus gratiæ haberet, litteras præmittit, quibus adventum suum desperare maritum jubet. At ipsa peregrini juvenis habitu Palestinam ingressa, in vestibulo Regio, eum fidem peregrinum conspiciat, et auditur. Adducitur ad Regem seu Principem, quem suo cantu ita demulsi, ut in cenam adscita, jussaque ludere, juberetur dein laute haberi. Post decem dies potestas ei fit, petendi, quod vellet. Illa captivum dari sibi liberum cupit. Accitus Bertulphus, dum mortem timet, liberatur, juvenemque, ut putabat, complexus, mille gratias illi egit. Tum patriam repetunt, et jam jam patriæ vicini erant cum fidem simulat, se in pago aliquid negotii habere, prope diem adfore. Interim Bertulphus maximo civium plausu excipitur, qui convivio instructo rationem sui itineris reddidit; at hoc maxime queritur ab uxore se destitutum. Tum fuit, qui eam ausus est criminari, marito absente vitam voluptariam egisse, plus sex septemve menses domo abfuisse. Jamque iratus diras in eam minas jactabat, cum nuntiatur fidem adesse; cui ille assurgere, gratias agere, genus scire velle, ac nomen. Tum illa respondet, se facturam, si conjugem toties infidam coram sisteret; sed nusquam repetitur, et ecce galero rejecto, et colore, quo se infeicit, abstergo, Ansberte apparet. *ENGELG. Tom. 4 post Pasch. § 3.*

Ferdinandus Gonzalez, Comes de Castillo, tenebatur captivus a Rege Legionensi in Hispania, et de capite periclitabatur; uxor ejus Sanctia sub prætextu peregrinationis ad S. Jacobum in Gallia transiens, cum esset Regi cognata, impetravit, ut ad maritum in carcerem admitteretur. Admissa, cum marito vestes mutat, ipse in uxoris habitu evadit, illa in carcere in veste mariti manet.

Detecta fabula, laudatque conjugis in maritum charitatem, maritus liber dimittitur. *CORDIER. p. I, c. III, § 2.*

Agricola quidam, Lentiscolensis in Neapolitano Regno ortus, cum juxta mare agrum coleret, uxorque ab eo aliquantisper disjuncta, a piratis Mauris, qui in littus prædatum descenderant capta esset, statim ut uxorem non apparere trirèmeque piraticam haud longe anchoras jecisse conspexit, arbitratus, id quod erat, in ea uxorem esse, ad trirèmem statim adnatavit; atque ejus gubernatorem vocato, dixit se idcirco venisse, quod sequi uxorem statuerat. Minime barbarie illa territis nationis, fidei Christianæ inimice, neque ingenti miseria, qua remigio addicti laborant, omnium horum immemorem conjugalis amor eum fecerat. Quam rem cum Mauri non sine ingenti admiratione adviderent (permultos enim ejus regionis aecolas viderant prius perpeti mortem, quam illam miseriam malle), atque eam postea per ordinem Tunetensi Regi narsissent tanta hominis charitatis motus Rex et virum et uxorem liberos esse jussit, ut inter regie custodiae milites virum adoptavit. *B. FULGENT. l. IV.*

Dilectio materna.

Latera pagus est in Mugello Etruriæ valle, ex quo maternæ in filios pietatis clarissimum ab hinc deoenni lumen effulsit. Pestifer erat annus, et funeribus contagione vulgatis exhauriebantur domus, atque oppida; nec vicis parebat dira pestilentia, qua quum se correptam, ac non ita multo post morituram sentiret Elisabetha femina ætatis integræ, ac virtutis supra natalium fortunam, verita, ne tabidum cadaver maritum ac parvulos filios inficeret, vestes induit, supremoque conatu gressum ægre moliens, maritum admonet, infantibus prospiceret, ne casu ad cubile, in quo ipsa jacerat, incauti adreperent; se quidem ad medicam in viciniam abire mulierem; nec plura. Egredditur casa, in qua animi partem meliorem non reditura relinquebat; vix passus aliquot explicaverat, quum infantum minimus e fenestella prospectans, ad fratres versus, matrem abire nuntiat, simulque illam compellans: *Mamma*, inquit, vale. Perfidit tenerum cor nota infantis vox, ac matrem advertit, sed ille intro se rece-

perat, ne quid miseræ mororis deesset. Ergo vix se moliens, ad vespillonum ades adit, pulsatisque foribus evocatum, rogat per omnia divina et humana, ut sibi, quam posceret, operam navare vellet; venisse se mortis certam, rogare opere quam maximo, ut, quoniam vix aliquid halitus superesset, vivam infoderet, ne cui tabifico noceret cadavere, ideo enim domo se abiisse, ne filiis ac viro pestem afflaret. Attoniti homines ad eam vocem, bene sperare jubent, si quid humanitas accidisset, se statim mortuæ humum injecturos, interim succederet tecto. Paruit momentibus Elisabetha, et illi paulo post mortuæ datam servarunt fidem, ac fossæ intulerunt, humumque composuere, JOAN. RUO. *Var. Histor.* l. IV, c. IV, n. 12.

Dilectio filialis.

Senensem quemdam adolescentem nobili natum loco, nec tenui re familiarium instruem, nunquam adducere poterunt amici, ut uxorem acciperet, veritum, ne ortis, ut fieri solet, dissidiis, mater minus quiete ageret. Neque hic pietatis finis fuit. Idem bonis exutus, quam ultima laboraret inopia, gossipium vendere sustinuit, ut matrem aleret; idem, ne anus grandæva forte offensaret, perdit domo pedem non extulit. Idem, cum extruendo foco vires non suppetent frigentis anus pedes proprio excipiens sinu tamdiu calefaciebat, donec illa jam somno correpta, ipse etiam se ad quietem componeret. Hoc tanta pietate diu exercitum ad æterni Patris agnitionem fidei lumen evexit; quod ut vidit, dolere cepit, se, qui minoris pietatis numeros omnes explevisse sibi videbatur, eam, que adversus Deum est tandiu ignorare. JOAN. RUO. *Var. Hist.* l. IV, c. I, n. 4.

Ejectis fatales inter bellorum tumultus, quibus proxime elapso seculo Italia quassata est, avitis ditioribus, Sabaudie Ducis Carolo Philibertus filius erat, qui Caroli V, partes ac signa secutus, in spem omnino magnas armis insuecebat, ac recuperatorem paternam ditionem haud dubie videbatur. Sensit hoc Franciscus Gallorum Rex, atque regnandi fessus, ut bellorum incerta presenti redimeret liberalitate, optionem Philiberto deferret, interprete Comite Brisachio, se, quæ armis occupaverat, sponte traditurum, modo levissima quæpiam significatione

Gallicum imperium vellet agnoscere. In ea rerum desperatione haud asperanda Principi videbatur conditio, statim imperato, cui vel in pace agenti lenta parentis fata essent expectanda. Ille tamen respondit, superesse Patrem, et Carolum Quintum, a quorum altero hujus lucis usuram, ab altero fortunæ principalis ornamenta accepisset. Itaque illis inconsultis Regis liberalitatem admittere sui non esse pudoris ac pietatis. Hoc ille animo viam aperuisse videtur victoriæ, qua non ita multo post ditionem omnem gloriosissime recepit. *Ibid.*

Adolescens quidam Paraquarianus matrem adhuc in sylvis veteri more agitantem mori, quam videret, dolebat patrem sacris undis inexpectatam, æternisque ea propter mactandam incendiis obire. Quid ageret? Nullus in ea solitudine vicinus pagus ex iis, quos nostri ibi Patres tradendis humanis, Christianisque legibus moluntur, unde Sacerdos evocatus in tempore adesse posset. Non tulit moras pietas; matrem exilem jam animam trahentem arundinea in corbe, quam mollissime potest, componit, eamque in humeros sublata per aliquot leucas ad Sacerdotem deferre incipit, haud satis validus ipse, fractis insuper valetudine viribus. Ergo haud multum confecerat via, quam pio sub onere deficiens matrem deponit, ac mestissime assidet. Verum hanc tantam pietatem ille quidem, qui indiderat Deus, haud irritam spei esse passus est. Idem enim iter ingressus Sacerdos alterius expiandi causa, cum aliquot indigenarum comitatu, eos offendit humi abjectos, ac desperatione torpentes. Illico bene sperare jubet adolescentem atque anum, quam filius utrumque Christianis rudimentis instituerat, quantum temporis angustia ferebant, interrogatam, annuentemque abluat, atque a comitibus in pagum deferri jubet. *Ibidem* n. 7.

Puella quædam sexdecim annos nata per medias hostium Hugonatorum acies virili animo transiens, cum patrem occisum putaret, sola eam arcem petiit, in qua aliis super alia jactis cadaveribus multis audacter evolutis, ægre patrem invenit, confossum quidem multis vulneribus, sed tum leniter spirantem adhuc; humeris ergo impositum, spectante hoste, domum tulit, neque solum vitæ, sed etiam sanitatis restituit. *DÆXELIUS* in *Noëmo* c. XII, § 1, causa 1.

Hieronymus Tarellus cum invito parente Capuceinum induisset, et deposito extra pa-

triam tyrocinio constantiam solemnibus votis firmasset, jussus forum Julii reverti, ut matrem irarum adhuc plenum placaret, se veteranis vestre probavit. Ut primum horrida illa in parem convenit, tantum illi ipso invisibilis habitu aspectu stomachi movit, ut ingenti colapho ab homine ira impotentissimo ad terram affigeretur; sed egregius adolescens, patris pedes incredibili modestia osculatus, ita flexit, ut illico mutatus in amplexus rueret, atque amantissime illum oscularetur. Novam inde litis genus parente domum invitante, filio pauperum xenodochium præhabente, ex quo pauperitas amans extrahi, ac paternas in ades migrare nunquam passus est. Mox valetudine occupatus, conclamatusque a medicis testamenti tabulas novi generis, solidaque adversus parentem pietatis conficit, illumque eorum qua ipse cumque apud Deum meruisset (sanctæ precat, ut ea rata esset voluntas) hæredem instituit, simulque obsecrat, nihil ultra rogaturus, ut, quod reliquum esset vitæ, ad Christianæ sanctitatis amissum exigat, nihil se patri amplius præstare posse. Perculit filii morientis pietas hominis animum, eamque post illius excessum vitam instituit, cujus filium, si viveret, non peniteret. JOAN. RUO. *Var. Hist.* l. IV, c. IV, n. 19.

Garzia Gonsalvi patrem ceperant Mauri, duraque, ut illis barbaris moris est, servitute fatigabant; angustia hæc Garzias, utque parentem illa ærumma liberaret multa secum comminisset; expeditissima demum via illi visa commutatio, si se validiorem utique viribus ad diutius servitutum barbaro loco patris addiceret, ingentem pietatis cogitationem impetu valido executus, patrem liberat, ipse vero servit, reddiditque propemodum, quod acceperat, nam vitæ ac libertatis modicum admodum discrimen est. Cogitasse atque etiam patrasse tam arduæ pietatis opus satis Deo visum; nam haud ita multo post ipse fuga evasit, non sine præsentis Dei lumine, ac magnæ Deiparæ ope. *Ibidem* n. 5, exnostr.

Rex quidam Indus, cum videret, se filiis natu majoribus jam rerum potitis, gravem esse, cum conjuge et filio natu minimo apud externos auxilium et quietem reperiturus alio migrat, in via ambo conjuges moriuntur; filius cum sepelire non posset, nec tamen vellet vel mortuos deferre, mortuos cremat, et cineres capiti suo includit, frontique cul-

tro apertæ cineres inserens, capite suo pro sepulchro est usus. Placuit Jovi pietas, qui eam videbat, et hominem in alaudam seu galeritam mutavit, quæ adhuc in capite cristam erectam gerit, eum vulneris in fronte facti vestigium. *CORNER.* p. III, c. III, 2.

Dilectio fraternalis.

Annus superioris seculi quintus supra octogesimum primus opinor vidit eo se fratrem pietatem attollere, ut altiori eam stetit fastigio nulla retro ætas memoret, nulla forte visura sit. Navigantes in Indiam Ximenis fratres, Gasparem et Ferdinandum, immanibus quassata fluctibus et lacera navis, cui a S. Paulo nomen, medio in Oceano destituit, cum reliquis vectoribus. Desiliere perique in lembum, qui oneratis semper adest, ut quasi humilium navigantes, minores iras moverent Oceano; sed tanta vis mortalium jam erat, ut lembus haud dubie, vel placido mari, esset absorbendus, nisi jactu corporum exoneraretur. In hæc tanta desperatione sortes jaci placuit, et quos perire Deo visum esset, illi vel sponte desiliere in fluctus, vel ab aliis jacerentur; attonitis omnibus capiti suo timentibus, feralis designatio Gasparem Ximenium morti destinat; nec ille abnebat, sed obijcit se Ferdinandus natu minor, vociferans enim vero, non passurum se, ut Gaspar spargere- tur in fluctus, si exonerato navigio sit opus, vicarium se caput suum offerre. Contra Gaspar sibi perire sorte datum, viveret ipse diutius, qui tardius inessisset, sed frustra felicior eloquentia Ferdinandus fuit, persuasitque reliquis omnibus, ut sortis errorem corrigerent, seque Oceano dederent victimam publicæ salutis. Itaque magna omnium comploratione, quibus necessitas crudelitatem lacrymis excusabat, in undas abijcitur, 360 a terra passuum millibus. Haud passus est Deus tantam virtutem Oceano hauriri, sufficitque valido adolescentis vires, ut diem pene totum natatu se sustentaret, lembum non longe consequeretur. Tunc vero pudor navigantium obortus, et unius corpusculi pondus levioris momenti visum, quam ut naufragium eo addito timerent. Itaque inhibito cursu adnatentem læti excipiunt, securaque exinde usi navigatione, quasi virtutem Oceano ipso ac morte majorē viderent. JOAN. RUO. l. IV, c. IV, *Variorum hist.* n. 13.

Margaritam Anna mater elegerat, ut uxorem Philippo Tertio daret; nam id Philippus II, illius permiserat arbitrio. Quanta res agebatur tot gentibus, populisque Reginam dare? Admonita suae fortunæ Margarita major fuit, quam ut eam pietati præhaberet. Itaque multis cum lacrymis ad matrem adit obnixque rogat, ut regias ad Philippi nuptias, ac magnæ orbis partis imperium sororem natu majorem eligat, id jura naturæ ferre, ut quæ prior lucem viderat, imparet. Sed vicit matris voluntas, sicque sorori prælata Philippo cessit. JOAN. RUO. *Var. Hist.* l. IV, c. IV, n. 13.

Luita, Gothorum Rex in Hispania, secundo regni sui anno Leonegildum fratrem, heredem ac successorem regni constituit, eadem ac successorem regni constituit, et aliud tempus ante obitum, servata sibi tantum Narbonensis provincia, reliquis regni partes ei cessit. BAPT. FULGENT. lib. V.

Ramirus adeo amans fratris sui Garsie fuit, ut ipsam, cum Hispaniæ regno jam ex parte de Arabum manibus recepto, eo ut primogenitus antelatus fuisset, sponte sua regni socium accevit, cum plus apud eum regni in communicatione fraternum amor quam ambitio posset, quæ non fratris modo sed parentis quoque ac filiorum extinguere charitatem solet. Ibidem.

Dilectio servilis.

Mauritius Saxonie Dux in quadam hostili velitatione ab hoste ex equo dejectus est, quem ut servaret quidam ejus servus, cum corpore suo protexit, ac omnia vulnera in se et calces hominum et æquorum excepit, neque se movit. Mauritius servi sanguine perfusus, nullum vulnus accepit; at servus relatus ad tentorium paulo post expiravit. CORBIER. p. IV, c. VI.

Cum Remoaldus, filius Longobardorum Regis, Beneventi obsideretur ab Imperatore Constantino II, impio heretico, qui volebat omnes Principes suos errores sectari, videns Remoaldus se premi sine spe pacis conciliandæ per honestas conditiones, servum ad patrem Grimoaldum ablegat qui nuntiet, se, nisi succurrat, tueri urbem non posse. Servus reversus cum litteris, quibus auxilium propediem promittebatur, in manus hostium incidit: ubi Imperator intelligit solvendam sibi obsidionem esse, jubet, si mori nolit, servum ad urbis obsessæ fossam

accedere, ac hero suo nuntiare, nihil a patre opis expectandum; dederet se, quibus conditionibus posset. Servus evocato hero suo aperte dicit: Auxilia in vicino esse, tantisper obsidionem ferret. Plura dicere, inquit, sed cingor ab hostibus, qui jam nunc me vera tibi elocutum in frusta coincident. Commendo tibi conjugem ac liberos meos. Quo dicto illico fuit omni ex parte confusus. CORBIER. p. IV, c. VII, § I.

Cum in Reatinam Villam milites adventare servus Urbini Panopionis proscripti vidisset, ut herum occiderent, ipse statim mutata cum hero veste, ac annulo, illum postico clam emisit; se autem in Paniculum ac lectulum heri recepit, et ut Panopionem occidi passus est. VAL. MAX. l. VI, c. VIII.

Codrus, Rex Atheniensis, vastata ab hostibus Attica, ubi ab Oraculo Delphico intellexit per Legatos, tum finem bello fore, si ipse hostili manu occidisset, itque non Athenis tantum, sed etiam hostium castris esset vulgatum, in quibus ideo edictum fuit, ne quis Codrum vulneraret. Ipse depositis insignibus Imperii, familiarem cultum induit, et hostium palantium globo se objectit, unumque ex his fale percussum in eadem suam compulit. Cujus interitu Athenæ servatæ sunt. VAL. MAX. l. V, c. VI.

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius religiose morem illum retinuit, ut nulli malum pro malo redderet, sed vinceret in bono malum et malefacta benefactis non tantum exæquaret, sed etiam obrueret. De aliis nunquam detrahit; detrahentibus aures nunquam patefecit. Alienorum vitia, non modo ipse in colloquiis non protraxit, sed ne ab aliis protraherentur, sedulo cavet. Per triginta et amplius annos neminem unquam verbo contumelioso, aut mordaci læsit. Errata domesticorum miro silentio tegebatur, et si forte aperire necesse esset, non pluribus quam opus erat, aperiebat. VITA. l. V, c. II et VI.

S. Franciscus Xaverius summe charitatem proximi verbo et exemplo commendabat; hinc dicere solebat: Quid aliud est societas Jesu, quam societas amoris et concordie? L. II Ep.

P. Jacobus Laynes in Castris nosocomio præfectus sua ipse manu pharmaca preparabat, porrigebatque, unguenta oblinebat,

cibos in os ægris inferebat, lintea purgabat, noctu excubabat. *Hist. Soc.* p. I, l. X, n. 9.

P. Petrus Faber aiebat, experientia et scriptura constare, quo quis in proximos benignior fuerit, eo largiorem ei concurrere solitam misericordiam Dei, etiam ultro sine precibus; et hujus charitatis defectu evenire, cur nullam in precibus delectationem sentiamus, ejusque onera misericordie spiritualia preparare ad spirituales consolationes. Ipse omni studio excluderebat, quidquid minueret opinionem de aliis posset vel conjunctionem dirimere, in quam rem crebras preces et sacrificia offerebat, vocabat autem illas cogitationes, frigora quadam malevolorum demonum, valdeque ad nitendum censebat, ne nos a charitate aliorum perspecta eorum vitia avocent, unde et spes eorum salutis infringi solet; neque vero has cogitationes censebat fuga vinci, sed accessu potius ad eos, erga quos quocumque modo aversionem sentimus; sic enim Christum Dominum post suam etiam mortem hasta transfixum in eum, qui transfixerat, cruorem effudisse, ut ad illum vel hoc modo accederet. VITA. l. II, c. XV.

Primi Patres ipsi in magna egestate Romæ, 1538, in summa annonæ caritate, pauperes e plateis in suam domum deportant, cibo, igne, veste, lecto, juvant, sic 400 mendicis subvenerunt. ASP. l. I, II, n. 45.

P. Simeon, S. P. N. Ignatii confessarius, jam senex, ita diligebat fratres, ut vel ignotus sibi vel primum societatem ingressos accederet, et ab eis, qui vocarentur, peteret, quorum omnium nomina memoria notans, quemlibet singillatim in *Memento* Deo commendabat. Unde longissimus erat in *Memento*, tolerabatur tamen, quia privatim celebrabat. Ex l. INGOLST. *missæ* I, 5.

P. Joannes Nunnus cum socio medicinae artem addiscebatur, tantum ideo ut ægrotis captivis mederi posset, quod et fecit; et si quos magis ægrotos invenit, in suam domum tulit. Idem, si qui ex captivis ob morbos suos dominis laborare non poterant, ipsorum vices per se persolvebat. Saepè noctu collectas in ergastulis captivorum sordes exportabat. *Hist. Soc.* lib. X, c. xv.

P. Joannes Piscator, Rector Novitiatu Romani, cum nihil in promptu haberet, quod mendicantibus daret, suas saepe vestes detrahit et donavit. Item Nunnus Ribertus fecit, ita ut ipse pene nudus esset. *Vita B. Avg. Hist. Soc.*

P. Nicolaus Stafeldius, Brunenbergensis Collegii Rector, cum febris totum pene collegium invasisset, pro omnibus se Deo victimam obtulit, ratumque habuit Deus, mortuus est ille febre solus, loco omnium. *An. Lith. an. Ern.* 1612.

Joan. Antonius Hoek abjectissimæ conditionis homines maxime curabat, dicens se curare ipsa Dei membra, ei quam conjunctissima et charissima, ideoque se eorum consuetudine mirifice delectari. *An. Flan. coll. Jun.* 1614.

Angelopolis, Indus puer tabifico viperæ morsu secundum crus ita intumuerat, ut fœde purulenta sanies utrinque diffunderet, tantumque fetorem diffunderet, ut etiam maxime exercitatus in hac re præ foret accedere non poterant. Sed Franc. a Villa Regali non solum accedebat, sed et sorbitiunculas ori ingerebat, lectum sternebat, cicatricem fetentem obligabat, purulentas fascias lavabat, imo putridam cicatricem singulis diebus egregius sui victor lambebat. *Ami. Mexic.* 509.

P. Ludov. Riverius nullum unquam vel levissimum offendit, nulli ne nutu quidem repugnavit, annis septemdecim eloquentiæ Professor. *Prov. Franc.* 1608.

P. Didacus Garzia, Vice Provincialis, volebat se captivum dare Barbaris, pro capto ab illis P. Melchioro Hurtado. *Provin. Phil.* col. 1604.

Joannes Buseus, Provincialis Rheni, neminem unquam acerbius appellavit, aut perstrinxit. Idem observavit P. Constantinus Pulcharelius, P. Odoardus Carveria. *An.* 1611 MAGUNT. *Prov. Lusit. Braccana* I, 14.

Antonius Criminalis in itineribus socios ferendis sarcinulis sublevalat, in occurrentibus fluvii primus vadum tentabat, comitesque imbecilliores humeris impositos trajiciebat, in hospitii viisque et servi et patris obibat partes. *Hist. Soc.* p. I, l. IX, n. 116.

Alvarus Mendius, Megostani in Arabia 150 ex iis, qui ab Armuzia Turearum metu profugerant, conquistata stipe sustentabat. *Hist. Soc.* p. I, l. 12, 123.

Andreas Consalvus, Paschalis Catalaunus, et Alphonsus Lopius, 1553, facto naufragio fame pereunt, ne deserant turbam naufragorum. *lb.* l. XV, n. 124.

P. Dominicus dicebat, remedium contra aversionem esse, oculari vestigia illius, erga quem sentis aversionem. Ex lib. INGOLST. I, 13, 9, 16.

Anno 1348, Patres et totidem Fratres in Indiam navigantes, quidquid ipsis ad tam longæ et periculosæ navigationis viaticum datum fuerat, id illi totum cum egenis communicarunt. Et compensavit Deus hanc liberalitatem aliorum in ipsos liberalitate. *Hist. Soc. p. I, lib. V, n. 102.*

Ægrotabat Avenione coadjutor, cumque de ejus salute medici plane desperassent, monuerunt Rectorem, ne frustra sumptus in ægrotum faceret; at P. Rector nequam acquiescens, jussit medicos, quidquid ad sanandum ægrotum opus foret, prescribere; ita ingentis sumptus media adhibita sunt, ægerque sanatus, obstupescens medicis insignem superiorum erga suos charitatem. *Ann. Lug. 1594.*

Cœlitū rescivit noster, antrum quoddam esse, fœtore leterrimo plenum, ubi homines aliquot peste affecti, sine auxilio jacerent; nemo illuc ingredi ausus erat, sed noster ardens charitate, solus illud intrat, reperit magnam sexus utriusque vim, alios super alios animam agentes, omnes confessione expiat, itaque moriuntur. *Ann. Belg. 1597.*

Cum Augustæ graviter ægrotaret P. Paulus Hoffens, P. Joannes Kastellus Anglus ad aedem Salvatoris ad octo millia passuum profectus, pro tam caro capite ipse suum devovit, sedulo Deum precatus, votum ut hoc suum ratum haberet, et habuit Deus. Simul enim domum venit, decubuit et occubuit; surrexit alter jam conclamatus, pro quo hostia piacularis erat ille, ovis pro pastore. *Ann. Ingolst. 1609.*

Joannes Berchman magna unumquemque affabilitatis dulcedine gratiaque alloquebatur; nunquam auditus per jocum illudere ulli aut irridere, nunquam effervesce contra aliquem. Obvios in plateis licet ignotos affabilissime salutabat; causam hujus rei interrogatus: Quia, inquit, fratres mei sunt, Quotidie ægros visitabat promissive, eos tamen solabat diutius, qui rarius ab alijs viserentur. Quoties obsequium ab alio posceretur, vix pronuntiatis verbis, promptus hac similive forma respondit: Effectum dabo, mi pater, et lubens. Unde per fugium erat omnium, quoties quis in aliquo officio impeditus erat, vicem ei suam demandaret. P. II, ult. pag. 93.

Julianus Sena adolescens vel umbram detractionis horrebat; unde si quando in circulo loquentium staret, et aliquid contra sociorum existimationem quamvis modicum

dici audiret, illico rubore suffusus ex circumstantium corona se subducebat. *An. Sardin. coll. Cotarit. 1613.*

P. Vincentius Caraffa in Adversariis suis hoc syngraphum reliquit: Deum adamabo propter se, et propter ipsum vivis ejus imaginibus inserviam. Cor tradam ipsi, manumque proximo, ut divino pectori cum admoveam. Idem crebro nostris inculcabat, duas esse charitatis sorores, mansuetudinem et patientiam, quas ejus latera semper claudere oporteret. *Loc. cit. Vitæ I. II, c. VII.*

P. Petrus Cottonus Gallus adeo plenus erat suavissimæ charitatis, ut Henricus Magnus, Galliarum Rex, dicitur: Cottonus de nemine male censet, et nemini unquam succenset. Mirifice dissimulabat, excusabat, legebat, si quid perperam ab aliquo factum audiret. *NADAST, in an. mem. 19 Mart.*

Simon de Espalza, Coadjutor Hispanus, petit per B. V. a Deo sibi impetrari, ut in morientis locum substitueretur, illo in vita retento, se enim Collegio vix aliquod, illum autem longe plus posse prodesse. Et vero æger ille confestim respiravit, ac sensim convaleuit; Simonem vero intra triduum idem morbus, qui alterum desererat, corripuit, et extinxit, ceu succedaneam victimam humilitatis et charitatis. *Ibid. II Junii.*

P. Joannes Collignon Gallus sub mortem se increpitans, latronem se divine gloriæ vocitabat, querebaturque, quod in lectulo domi, non foris inter pestiferorum turbam defungeretur charitate, simul et vita; quod illi decus in desiderio fuit, ut ea labe laborantibus dulcedine gratiaque servieritque assiduitate plane heroicæ charitatis. Obiit Mussiponti, 4 Augusti an. 1633. *Ibid. I August.*

Plura in hoc genere exempla nostrorum videri possunt in Tomis integris, quibus titulus: Mortes illustres et Victimæ Charitatis, præfigitur.

EXEMPLA PROFANA.

Alexander Magnus urgente Matre Olympiade, ut insontem occidere: Aliam, inquit, a me mercedem postula, hominis vite nullo beneficio compensatur. *PLUTARCH.*

Marcus Antonius, parens rebellibus, in senatu dixit: Utinam possem multos etiam ab inferis excitare. *STAPL. th. III in Dom. post. Pent.*

Cum Orestes et Pilades in regione Taurica a Rege comprehensi fuissent, quod simulacrum Palladis auferre voluissent, sed postea re melius examinata Orestes solus furti reus compertus, ideoque damnatus ad mortem fuisset, Pilades se Orestem esse dixit, ut pro socio interficeretur, Orestes vero se esse Orestem fatebatur, ne socius periret. *Ibid.*

Damon et Pythias Pythagorei discipuli, aretissima inter se amicitia usque adeo coaluerunt, ut, cum Damon ad mortem damnatus fuisset a Dionysio Rege, sed prius ut res domesticas componere liceret, rogasset, Pythias se interea vadem offerre non dubitaret. Cum vero hora morti destinata adveniente, stultitiæ ipsum ob temerariam sponsionem damnaret, respondit Pythias, non dubitare se, quin amicum ad destinatum tempus adfuturus esset, uti et factum. *Ibid.*

Nisus et Euryalus Aeneæ socii, adeo se diligebant, ut, cum Euryalum Rutuli peremissent, Nisus prius socii mortem ulturus ad periculum, quod jam evaserat, redierit, sumptaque vindicta seipsum confoderit, et super mortui Euryali corpus exanimem se projecit. *VIRGIL. lib. IX.*

SIMILITUDINES.

NATURA. — Sicut ii, qui insaniant, ac phrenesim patiuntur, etiam quando sibi ipsis injurias grandes inferunt, corpus lacerant, etc. adhuc tamen rident, non tamen perinde etiam nos ridemus, sed commiseratione potius erga illos movemur; ita peccatores, heretici et omnes hostes, dum quasi insaniant, et sic animam suam graviter lædunt, licet ipsi rideant, nos tamen potius iisdem compati debemus.

Sicut margarite manibus cum incuria tractatæ splendorem amittunt et flavescent; atque si in aceto ponantur, omnino dissolvuntur; ita unio fraternæ charitatis suam præstantiam amittit, si negligenter tractetur, et exerceatur. *LUD. DE POSTE p. III, tr. VII.*

Sicut vitæ animalis argumentum est motus membrorum, sic vitæ spiritualis certum indicium est amor erga proximum, et opera charitatis in illum. Hinc D. Joannes, I, c. XIII ait: Translati sumus de morte ad vitam, quia diligimus fratres. Contra sicut mortis aut valetudinis desperatæ argumentum est

stupor membrorum, et cessatio motus; sic extinctæ gratiæ clarum indicium est, non affici erga proximum, et ab ejus dilectione cessare. Unde iterum D. Joannes: Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necesse habere et clausit viscera ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo? *STAPLEY, Dom. 12 post Pent. text. IV.*

Sicut si mel diligis, diligis et receptaculum mellis; ita qui diligit Deum, debet et proximum, velut receptaculum divinæ bonitatis, diligere. *Idem, them. IV.*

Sicut ignis in sua sphaera lignis opus non habet ad sui conservationem, at iste sublimaris ignis sine pabulo mox deficit; ita in hac vita sine operibus charitatis non vivitur, et ubi ipsa non sunt, ibi nec charitas est. *ROBERTO. p. I, tr. IV, c. VII.*

Sicut aqua, quanto altiori de loco descendit, tanto ad plura irriganda trahi potest; ita si dilectio in Deo fundetur, ad proximum copiosissime irrigandum inclinari facile potest. *Summa præd. v. dilect.*

Sicut cibus positus ante inferioris conditionis homines cito auferitur, ita, ut dignioribus vix quidquam obveniat; si vero ante Regem ponatur, omnibus convivis pro mensura dignitatis ordinate distribuitur; ita dilectio, quæ cibus animæ delicatus est, si inter vanos et vanitates ponatur, dignioribus, id est, Deo et Sanctis nihil reservatur, si vero positus ante Deum, ordinatæ et secundum dignitatem distribuetur. *Ibidem.*

Sicut sol prius montes, deinde primum valles irradiat; ita dilectio primum in Deum, deinde in alios sibi magis propinquos, et tunc primum in remotissima subiecta fertur. *Ibidem.*

Sicut lumen candela a parvo vento extinguitur, magnus vero ignis plus inflammatur, et crescit; ita exigua charitas modica adversitate corrumpitur, magna vero majus ex tribulationibus incrementum capit. *Ibid.*

UTILITAS. — Sicut plures sagitte in unum fasciculum colligatæ frangi non possunt, seorsim vero sine difficultate franguntur; ita et communitas aliqua tamdiu adversus hostes suos invicta manebit, quamdiu illius membra intra se unita sunt per vinculum charitatis; facile autem dissolvetur, si quis vis secundum propriam voluntatem vivat, et proprium commodum quærat. *SCHLUSUS Rec.*

Sicut quandoque ægros, quos fortis pigmentorum potio curare non valuit, ad salu-